# QVÆSTIO MEDICA
## QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS
### MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM,
DIE IOVIS XXV. IANVARII.

M. FRANCISCO GVENAVLT, Doctore Medico moderatore.

*An Æstate sudor, Hyeme vrina copiosior?* 725

HVMORIBVS sani sumus & dolemus; viuimus, morimur. Nullus tamen humor morbi vt nec sanitatis propria sedes est. Nullus viuit, ac ne semen ipsum, per spiritus à toto, cuius χαρακτηρισμὸν referunt, at per materiam à solis testibus deciduum. Ex alimento quolibet ortum ducunt. Ad nutritionem non omnes apti sunt; vt nec vllo modo minerale vllum aut metallum; non aurum ipsum. Hinc humorum alimentarij alij sunt primi & secundi; alij excrementitij. Illi ab eodem & vno calore, elementari omninò, in eodem loco simul & semel geniti, propria tamen cuiusque essentia inter se distincti, in ijsdem tubis continentur, hi partim vtiles, partim inutiles, coctione ab alijs segregantur, atque tracti, pulsi, in propria secedunt conceptacula. Nutritij vt sua singuli magis, quàm alia tempestate vigent; ita superflui, pro varia nos ambientis aëris καταστάσει, in hanc magis quàm illam feruntur partem.

SANGVIS reliquorum notissimus, præcipuum partium omnium nutrimentum. Non alit tamen syncerus, qui & nullibi est; sed reliquis ijsdemque nutritijs humoribus semper mixtus. Rectè is frigidus philosophis, medicis calidus celebratur. Ex chilo genitus, in venis mesaraïcis præparatus, suam formam ac sanguinis characterem, in solo hepate nanciscitur. In hoc & reliquis venis excoquitur, perficitur. Per solius hominis viuentis nares, nunc criticè, nunc symptomaticè, aliquando & vi, casu, ictu excernitur; Nonnunquàm etiam post mortem, per vulnus, aut alias vias, nullo repetendæ vindictæ signo, elabitur. Genuinus est qui rubet, & à suis ergastulis exclusus statim concrescit, qualis à mulieribus statis periodis per vterum excernitur. Ad huius naturam propiùs accedit pituita, sanguis crudus, cuius in optimum & excoctum facilis proindè μετάστασις: non item humorum cæterorum.

SVVS inter excrementitios sudori locus est & vrinæ; suus item sero. Sudor est humidum tertiæ coctionis excrementum, guttulatim, aquæ aut roris in modum per cutim erumpens: nunc parciùs, nunc copiosiùs; pro diuersa eius à quo fit caloris & conditione, & pororum aut apertione, raritate, aut occlusione densitatéve. Hinc pueri sudant facillimè senes difficilè: licèt hi sudore minùs quàm illi lædantur. Anteriore corporis parte posterior magis sudore difluit, & inferiore superior, caput & facies reliquo corpore, dormientes vigilantibus, sudorem abstergentes ipsum residere sinentibus, vere & æstate quàm autumno & hyeme, & corpora cuiuscumque tandem ætatis fuerint, in regionibus Meridionalibus faciliùs sudant, quàm Septentrionalibus.

VNA est sudoris, seri, & vrinæ materia: sede tamen & qualitatibus inter se differunt. Suum in renibus & vesica locum vrina nacta est, suum in habitu totius corporis sudor, in venis serum, à quo sanguis dilutus, & per venas capillares ductus, in vacua nutriendarum partium interstitia labitur. Sudor sero, sudore vrina acrior est & magis salsa. Vrinæ paucitas sudoris copiam auget & contrà. Hinc quibus die critico fit vrinæ suppressio, sudoris postmodùm aduentantis internuntia est. At qui parùm sudant & parùm meiunt, hi turgentes multo sero venas habent, quas diureticis facilius exoneres quàm hidroticis: his & rheumatismi & arthritides familiares sunt. Quilibet humor suum habet serum, eius cuius est soboles, naturam referens & effectus: vniuersa tamen seri massa frigida est & humida.

IN iuuando serosi humoris motu, non parum conferunt anni tempestates. Æstate confluit ad extimam corporis superficiem, Hyeme refluit ad suum centrum. Externus aëris tepor atque calor, internum ad se allicit, cutem laxat, eius meatus aperit, & sudoris materiam attenuat. Frigus intrò pellit, cutim densat & indurat, διαφόρησιν impedit, humores omnes incrassat, & ad intima protrudit. Hinc ventres Hyeme calidissimi, appetitus vegetior, & plurium quamuis ingestorum alimentorum coctio laudabilior, humorum distributio facilior, & vrinæ διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων vacuatio expeditior.

*Ergo Æstate sudor, Hyeme vrina copiosior.* 171

Proponebat Lutetiæ CAROLVS DVPRÉ Parisinus, A. R. S. H. M. DC. XXIX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

*M. Sebastianus Rainssant.*
*M. Petrus Guenault,*
*M. Nicolaus Braier,*

*M. Cyprianus Hubault.*
*M. Antonius le Rat.*
*M. Dionysius le Soubz.*

*M. Claudius de Poix.*
*M. Petrus le Comte.*
*M. Guillelmus de vailly.*